

P R A E F A T I O.

In imbuenda vero elegantiae gustu, ac Latinorum in primis poëtarum operibus interpretandis probe exercitanda iuuentute scholastica, quando de iis quaeritur, quorum immortalia ingenii monumenta ei ad hunc finem proponenda sint; nemo, opinor, tam absurdus, paene dicam demens, fuerit, qui non praestantissimis illis triumuiris, VIRGILIO, HORATIO, atque OVIDIO, primas hic partes deferendas esse sentiat, horumque, aliquam certe, tractationem vel ab hebetissimo quoque, et quiduis olim aliud, quam poesin latinam tractaturo, postulandam esse statuat. Sed quum in scholis, in primis paulo maioribus et frequentioribus, multi saepe excitatoris ingenii adolescentes reperiantur, qui paulo longius progredi in hoc studio et possint et velint; nemo rursus erit, opinor, tam morosus ac difficilis, qui laudabili horum etiam conatui non succurrendum, sed potius caeterorum, ut Catulli, Tibulli, Silii Italici, Valerii Flacci, Claudiani, aliorumque scriptis egregiis interdicendum iis